

SLAVE REVOLT IN ETRURIA & GALLIC WAR (196 B.C.) (33.36-46)

While Roman armies campagin in the East, a slave revolt flares up in Etruria and is quickly suppressed. Along the northern frontier, in the Po Valley, constant warfare occurred during the 190s B.C. as Roman armies gradually subdue the Gauls.

1 [36] Cum haec in Graecia Macedoniaque et Asia gererentur, Etruriam
2 infestam prope coniuratio servorum fecit. Ad quaerendam opprimendamque
3 eam M'. Acilius Glabrio praetor, cui inter cives peregrinosque iurisdictio
4 obtigerat, cum una ex duabus legione urbana est missus. Alios < vagos
5 comprehendit > alios iam congregatos pugnando vicit: ex his multi occisi,
6 multi capti; alios verberatos crucibus adfixit, qui principes coniurationis
7 fuerant, alios dominis restituit.

8 Consules in provincias profecti sunt. Marcellum Boiorum ingressum fines,
9 fatigato per diem totum milite via facienda, castra in tumulo quodam
10 ponentem Corolamus quidam, regulus Boiorum, cum magna manu adortus
11 ad tria milia hominum occidit; et inlustres viri aliquot in illo tumultuario
12 proelio ceciderunt, inter quos praefecti socium T. Sempronius Gracchus et
13 M. Iunius Silanus et tribuni militum de legione secunda M. Ogulnius et P.
14 Claudius. Castra tamen ab Romanis impigre permunita retentaque, cum
15 hostes prospera pugna elati nequ quam oppugnassent. Statis deinde iisdem
16 per dies aliquot sese tenuit, dum et saucios curaret et a tanto terrore animos
17 militum reficeret. Boi, ut est gens minime ad morae taedium ferendum
18 patiens, in castella sua vicosque passim dilapsi sunt.

19 Marcellus Pado confestim traiecto in agrum Comensem, ubi Insubres
20 Comensibus ad arma excitis castra habebant, legiones ducit. Galli, feroce
21 Boiorum ante dies paucos pugna, in ipso itinere proelium committunt; et

22 primo adeo acriter invaserunt ut antesignanos impulerint. Quod ubi
23 Marcellus animadvertisit, veritus ne moti semel pellerentur, cohortem
24 Marsorum cum opposuisset, equitum Latinorum omnes turmas in hostem
25 emisit. Quorum cum primus secundusque impetus rettudisset inferentem se
26 ferociter hostem, confirmata et reliqua acies Romana restitit primo, deinde
27 signa acriter intulit; nec ultra sustinuere certamen Galli quin terga verterent
28 atque effuse fugerent.

29 In eo proelio supra quadraginta milia hominum caesa Valerius Antias scribit,
30 octoginta septem signa militaria capta, et carpenta septingenta triginta duo et
31 aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis Claudius in
32 Capitolio Iovi donum in aede positum scribit. Castra eo die Gallorum
33 expugnata direptaque et Comum oppidum post dies paucos captum; castella
34 inde duodetriginta ad consulem defecerunt.

Meanwhile consul L. Furius Purpurio campaigns against the Boii and Ligures. Both consuls send dispatches to Rome reporting their victories. Despite his defeat by the Boii, Marcellus nevertheless obtains a triumph over the Ligures and Comenses.

35 [37] Ob has res gestas consulum litteris Romam allatis supplicatio in
36 triduum decreta est. Brevi post Marcellus consul Romam venit triumphusque
37 ei magno consensu patrum est decretus. Triumphavit in magistratu de
38 Insubribus Comensibusque; Boiorum triumphi spem collegae reliquit, quia
39 ipsi proprie adversa pugna in ea gente evenerat, cum collega secunda. Multa
40 spolia hostium captivis carpentis travecta, multa militaria signa; aeris lata
41 trecenta viginti milia, argenti bigati ducenta triginta quattuor milia; in
42 pedites singulos dati octogeni aeris, triplex equiti centurionique.